

directionem pertinentes, facile concedimus cum S. Hier. super illud Matth. 11. *Omnes Prophetæ et Lex usque ad Joannem*, et S. Aug. L. 5. de Civ. c. 26. etc. Denique existentia novæ revelationis probari nequit ex eo, quod nunc quædam credenda sint, quæ antea impune negari poterant; hoc enim licebat non ex defectu revelationis de iis reipsa existentis, sed ex defectu sufficientis applicationis; atque hinc illa quidem etiam olim reipsa ac materialiter de fide erant, non autem de fide obligante.

*Nec dicas* 3°. Debent de facto fieri novæ revelationes; tum 1. quia Spiritus sanctus æque nunc assistit Ecclesiæ loquenti ac definienti, ac olim assistebat Prophetis et Scriptoribus Canonis: tum 2. quia quæ Ecclesia definit, æque credenda sunt, ac illa, quæ illi olim pronuntiaverant; adeo ut, qui negaret veritatem ab Ecclesia definitam, foret hæreticus; ergo.

R. N. A. *Ad prob. 1<sup>am</sup>. N. parit. vel D.* Æque assistit, ut novas et olim necdum revelatas veritates definiat, et sic simpliciter novos articulos condantur N. ut revelatas olim veritates infallibiliter cognoscat, explicet et ad particularia in illis vere contenta applicet, atque sic articulos duntaxat secundum quid novos proponat C. Assistentia Spiritus sancti respectu Prophetarum consistebat in revelatione seu locutione Dei, vi cuius illi agebantur potius quam agebant; eo quod cognitio prophetica, licet vitaliter procederet ab intellectu, tamen indeliberate fiebat, et ad loquendum impellebat: assistentia autem Spiritus sancti Ecclesiæ concessa stat in speciali providentia Dei, qua dirigatur mens Prælatorum Ecclesiæ ad inquirendam per apta media veritatem, removeantur impedimenta assecutionem veritatis impedire potentia, et illuminetur intellectus ad verum a falso infallibiliter discernendum.

*Ad prob. 2<sup>am</sup>. D.* Æque sunt credenda formaliter et directe N. indirecte et per quamdam quasi consequentiam C. Auctoritas enim Ecclesiæ aut ejus definitio non est ratio seu objectum formale fidei, sed motivum duntaxat et fundamentum obligationis ad credendum: unde etiam qui negat veritatem ab Ecclesia definitam, est hæreticus, non quia negat Ecclesiæ factas revelationes aut potestatem condendi articulos; sed quia negat Ecclesiam esse infallibilem in proponendis aut explicandis divinis revelationibus.

113. *Nec dicas cont. 2<sup>am</sup>. p. 1<sup>o</sup>.* Probationes allatæ evincunt nihil latuisse Apostolos; ergo nequidem secundum quid creverunt articuli. 2°. S. Th. 2. 2. q. 1. a. 10. ad 1. ait, *quod in doctrina Christi et Apostolorum veritas fidei est sufficienter explicata*. Et a. 7. ad 1. docet, eos perfectius cognovisse, qui fuerunt viciniore adventui Christi, sicut magis illuminantur, qui sunt propinquiores soli.

*Ad 1<sup>am</sup>. R. N. A.* Cum enim Apostolis sufficerent veritates, pro statu rerum sui temporis necessariæ, et generales pro futuris temporibus, ad Ecclesiam constituendam et in futurum etiam Apostolicam dicendam; frustra quis et gratis probationes allatas extenderet ad cognitionem veritatum particularium, et non necessariam, et propheticam.

*Ad 2<sup>am</sup>. R. S. Thomam* per primum nihil velle, nisi veritatem fidei fuisse olim sufficienter explicatam pro tempore Christi et Apostolorum; minime vero, quod successu temporis non fuerit necesse quædam magis explicare, ad fidei controversias decidendas ac vitandos errores: continuo siquidem ita pergit: *sed quia perversi homines Apostolicam doctrinam et cæteras doctri-*

*nas et scripturas pervertunt ad sui ipsorum perditionem, sicut dicitur 2. Pet. ult.; ideo necessaria fuit temporibus procedentibus explicatio fidei contra insurgentes errores*. Alter textus ad præsentem quæstionem non pertinet, cum loquatur de notitia articulorum fidei clariore apud eos, qui circa Christi adventum vixerant præ illis, qui in *Lege naturæ et scripta* antea positi minus clare mysterium Incarnationis noscere poterant. Cæterum paritas a sole desumpta adæquata minime est, cum sol sit agens necessarium, Christus vero agens liberum, illuminetque homines et prout vult, et prout temporum ratio desiderat.

## ARTICULUS V.

QUINAM ARTICULI SINT NECESSARIO CREDENDI NECESSITATE MEDII?

114. *Nota.* Quæstio articulos attingit principales. Ex iis generales controversiæ minus patiuntur quam particulares. Proponuntur autem ab Apost. ad Hebr. 11. 6. *Credere oportet accedentem ad Deum, quia est, et inquirentibus se remunerator sit*; ubi sub ratione Dei existentis intelligitur saltem ens perfectissimum et principium rerum omnium; sub ratione remuneratoris autem Dei providentia et justitia, qui cuique pro merito suo reddat mercedem, bonis nempe præmia, malis pœnas. Cum vero providentiæ media aliâ possint esse *naturalia*, aliâ *supernaturalia*, pœnæ etiam ac præmia et hujus et alterius vitæ; nonnulla inter auctores discrepantia est, quibusdam negantibus articulum de remuneratore *supernaturali* esse per modum medii necessarium, aliis tamen communiter id affirmantibus.

115. *Dico I.* Articulus de Deo ut existente et ut remuneratore explicite credere, necessarium est necessitate medii.

*Prob.* Ex sententia Pauli supra cit., quæ sic incipit: *Sine fide impossibile est placere Deo. Credere enim oportet accedentem* etc. Sermonem hic autem esse de fide *explicita*, inde patet, quia fides implicita Dei existentis dari nequit, cum primum omnium sit credere Deum; si autem fides explicita requiritur Dei existentis, eandem quoque de Deo remuneratore ex copulatione asseri debet: *necessitatem* medii satis declarat membrum primum de impossibilitate, cui alterum per particulam *enim* adjunctum explicat duplex necessariæ fidei objectum. Hinc damnata est ab Innoc. XI. hæc propositio 22. *Non nisi fides unius Dei necessaria videtur necessitate medii, non autem explicita remuneratoris*.

*Conf.* Quia sublata fide remuneratoris tollitur omnis spes præmiorum et timor pœnarum, ut S. Thom. Lect. 2. ad text. Pauli inquit: *Non solum est necessarium credere, quod Deus sit, sed quod habeat providentiam de rebus; aliter nullus iret ad ipsum, si non speraret aliquam remunerationem ab ipso*: item tolleretur amor amicitiae perfectæ erga Deum; hic enim teste Philosopho L. 8. Eth. est *amor mutuus et amicis patens*; seu illis non incognitus, infertque mutuam bonorum communicationem: unde sine fide Dei remuneratoris amor quidem benevolentiae simplicis, non autem amor amicitiae perfectus haberi posset.

116. *Dico II.* Articulus necessario credendus de Deo ut remuneratore, intelligitur de remuneratore *supernaturali*.

*Prob.* Apostolus loco citato docens fidem Dei remuneratoris esse absolute necessariam, expresse agit de remuneratore per bona supernaturalia et vitam æternam : nam 1<sup>o</sup>. vox græca, *μισθαποδότης* significat *redditorem mercedis* : sed justi in hac vita sæpe nullam suæ pietatis ac virtutis mercedem ferunt, et e contrario perpetuis afflictionibus exercitantur; ergo Apostolus vult Deum credi retributorem bonorum supernaturalium ac vitæ æternæ. 2<sup>o</sup>. Ibidem v. 1. vocaverat fidem *sperandarum substantiam rerum et argumentum non apparentium* : sed res sperandæ imprimis procul dubio vel maxime sunt bona supernaturalia nobis proposita et promissa : unde et ibid. de Patribus V. T., quorum fidem magnifice laudaverat, addit v. 35. : *Alii autem distenti sunt, non suscipientes redemptionem, ut meliorem invenirent resurrectionem.* Et v. 39. : *Et hi omnes testimonio fidei probati, non acceperunt repromissionem.* Deinde vero res non apparentes dicuntur non solum illæ, quæ oculis non usurpantur, sed et quæ naturali ratione investigari nequeunt, juxta 1. ad Cor. 2. 9. : *Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus his qui diligunt illum : nobis autem revelavit Deus per Spiritum suum.* Ergo Apostolus requirit fidem rerum supernaturalium ac vitæ æternæ, atque remuneratoris supernaturalis.

*Conf.* Illa fides remuneratoris est necessaria necessitate medii, quæ ex natura rei requiritur ad amorem amicitiae perfectum, consequendam justitiam et salutem : sed ad hæc requiritur fides remuneratoris *supernaturalis*; quia amor amicitiae perfectus cum Deo supponit cognitionem mercedis aut donorum a Deo promissorum, et fides ad justitiam ac salutem, tanquam supernaturalia de facto nobis proposita, perducens includit cognitionem ipsius justitiæ et salutis; ergo.

117. *Obj. I. S.* Paulus loco cit. intendit duntaxat fidem esse necessariam ad justificationem per bona opera, non vero fidem de omnibus iis rebus, quæ ibidem referuntur; cum certum sit *Saram* potuisse salvari, etsi nihil audivisset de promissione filii; similiter *Noe* et alios sine aliorum ibi relatorum cognitione. *Conf. 1.* Rudes interdum errant circa aliquod attributum divinum; ergo non habent conceptum veri Dei; ergo vel non habent fidem necessariam, vel fides Dei non est necessaria. *Conf. 2.* Juxta D. Th. q. 14. de Ver. Dicendum est quod de Deo non est fides, quantum ad id, quod naturalem cognitionem excedit; sed nec existentia Dei nec ejus remuneratio excedit cognitionem naturalem; ergo.

*R. D.* Paulus non intendit fidem esse necessariam de omnibus, quæ quomodocumque ibi hoc capite referuntur *C.* quæ referuntur tanquam credenda *N.* Tria præcipue in hoc capite docet Paulus, 1<sup>o</sup>. fidei essentiam et necessitatem : 2<sup>o</sup>. objectum fidei necessarium : 3<sup>o</sup>. fidei utilitatem ex objectis quibuscumque revelatis ac ejus operibus : *primum* et *secundum* ostendit in v. 4. et 6. *tertium* in reliquo capitis argumento.

*Ad Conf. 1<sup>am</sup>.* *R. N. 1<sup>am</sup>.* *Cons.* Habetur enim conceptus veri Dei, quando habetur idea entis perfectissimi aut supremi, vel talis, qui soli Deo vero conveniat, eumque distinguat a falso vel ficto, licet eidem addantur quædam prædicata, illi reipsa non congruentia; modo conceptum priorem non clare

evertant, vel manifeste illi repugnent in cognoscentis intellectu : atque ita subinde accidit non rudibus duntaxat sed et doctis, qui inculpabiliter aliquid, Deo revera non conveniens, tribuunt. Qui vero quid agnoscit repugnare vero Deo, aut culpabiliter prædicatum repugnans eidem tribuit, rectum veri Dei conceptum evertit, neque verum Deum credit.

*Ad Conf. 2<sup>am</sup>.* *R. D. M.* Non est fides per cognitionem naturalem et medium scientificum de eo, quod naturaliter est de Deo cognitum *C.* Non est fides per motivum proprium, seu auctoritatem divinam de eo etc. *N.* Sed de hoc vide Disputationem de fidei objecto formali et obscuritate.

118. *Obj. II.* Si fides explicita Dei remuneratoris esset necessaria necessitate medii; ergo ideo, quia ex natura rei esset necessaria ad amorem Dei justificativum et perfectum, ac consequenter ad justitiam et salutem : atqui ad hunc non est necessaria fides *Dei remuneratoris*, quia ad hunc sufficit fides de Deo summe bono : vel saltem non est necessaria fides explicita, quia eliciens actum charitatis sæpe non cogitat de vita æterna; ergo.

*R. C. M.* Cum communiore Theologorum sententia; nam quamvis aliqui necessitatem fundent tantum in eo, quod Deus decreverit in hac providentia non concurrere ad actum charitatis, nisi simul adsit aut præcedat fides remuneratoris, vel in eo, quod moraliter impossibile aut valde difficile sit hominem assurgere et prosilire ad actum charitatis, quin sensim per actus alios præcedentes præsertim spei ad illum fuerit dispositus; tamen ex antea dictis fundanda videtur illa necessitas in ipsa natura. His adde, quod sicut, dum Apostolus dicit : *Sine fide impossibile est placere Deo*, significat physicam fidei necessitatem et in natura rei fundatam; sic etiam, dum subjungit : *Accedentem ad Deum oportet credere, quia est, et inquirentibus se remunerator sit*, eandem necessitatem indicat; eo quod posterior sententia sit duntaxat explicatio prioris, ubi per accessum ad Deum intelligitur placere Deo, et per credere Deum ac remuneratorem declaratur fides vel ejus objectum, sine qua impossibile est placere Deo.

*Ad min. R. 1<sup>o</sup>. N. 1<sup>am</sup>. p. ejus prob.* Quia fides de summo bono præcise potest quidem fundare æstimationem, complacentiam et amorem simplicis benevolentiae, non autem *amicitiæ amorem* : prior autem amor ex natura sua morali justificativus non est, nec expulsivus peccati mortalis; quemadmodum enim peccatum hoc reipsa est aversio ab ultimo fine et amicitia divina, sic et amor ejus expulsionem in ordine morali de congruo exigens debet esse conversio ad ultimum finem et divinam amicitiam, qualis nec est amor simplicis benevolentiae; nec sine fide Dei tanquam *amici remuneratoris* haberi potest.

*R. 2<sup>o</sup>. N. etiam 2<sup>am</sup>. p. Hujus autem prob. D.* Sæpe non cogitat virtualiter de vita æterna *N.* formaliter *subd.* signate et reflexe *C.* exercite ac directe *N.* In actu charitatis virtualiter saltem adest fides de Deo ut remuneratore, quæ formaliter antea præcesserat; aut plerumque adest fides de Deo tanquam auctore supernaturalium, sub quo conceptu virtualiter continetur ratio remuneratoris; aut denique exercite ac directe fides alterutra non deest, eo quod qui sæpe fidei et charitatis actum exercet, formaliter attingat motivum, licet illud studiose ac cum reflexione non consideret : id quod

ad evitandos scrupulos de contritione ad obtinendam salutem in praxi observandum plerique monent.

*Inst. 1.* Amor tendens in Deum ut remuneratorem est amor concupiscentiæ, non amicitiae: sed ad justificationem non requiritur ex natura rei amor concupiscentiæ; tum quia amor amicitiae justificativus potest elici, quin præcesserit amor concupiscentiæ seu spes: tum quia etiam spes præcedens nihil conferre potest ad eliciendum amorem amicitiae; ergo sicut non requiritur amor tendens in Deum ut remuneratorem, sic nec fides necessaria est.

*R. D. M.* Amor tendens in Deum ut remuneratorem præcise propter remunerationem passivam, tanquam motivum suum formale, est amor concupiscentiæ *C.* propter remunerationem activam, seu benevolentiam Dei amicabilem *N. M. et Trans. min. Cons.* Transmisimus vero Minorem; tum quia quamvis absolute elici queat amicitiae amor sine prævio amore concupiscentiæ, moraliter tamen loquendo id vix contingit; eo quod voluntas connaturaliter inclinatur in bonum proprium, adeoque ad amicitiae amorem per concupiscentiæ motum præambulatum ascendat: tum quia spes omnino disponit ad amorem, ut a Tridentino Sess. 6. c. 6. docemur, præstatque ut firmiter et efficaciter Deum diligamus: unde utramque probationem nihil evincere, manifestum est.

*Inst. 2.* Motivum charitatis justificativæ est bonitas Dei *essentialis*: sed Deum esse remuneratorem non est bonitas vel prædicatum Dei *essentiale*; ergo.

*R. D. M.* Est bonitas Dei *essentialis*, ita ut sumatur cum exclusione omnis voluntatis Dei liberæ *N.* est bonitas *essentialis*, per quam non intelligatur voluntas Dei libera exclusa *C.* Ratio finis ultimi et amicabilem boni omnino est *essentialis* Deo, nec illi advenit ab extrinsecò: Deus tamen libere voluit esse de facto finis noster ultimus *supernaturalis* et amicabilem communicator suorum bonorum. Liquet autem ex dictis, charitatem justificativam esse amorem amicitiae, atque hinc bonitatem *essentialem absolutam* pro motivo non habere.

119. *Obj. III.* Ad justificationem et salutem sufficit credere Deum remuneratorem per *bona naturalia*. *Prob.* Talis fides sufficit ad eliciendum amorem amicitiae *supernaturalem*; tum 1º. quia per talem fidem cognoscitur ut remunerator: tum 2º. quia Deus etiam ut auctor naturæ potest amore *supernaturali* diligi: sed amor amicitiae *supernaturalis* est justificativus; ergo. *Conf. 1.* Sufficit credere Deum esse remuneratorem per bona quidem *supernaturalia* sed non *æterna*. *Prob.* Quia stante tali fide, cum errore *Origenis* inculpabili, homo cognosceret et posset amare Deum amore amicitiae; ergo. *Conf. 2.* Sufficit saltem fides, qua quis credit Deum esse remuneratorem per bona *alterius vitæ*, licet præscindat a duratione et *supernaturalitate* bonorum. *Prob.* Tum quia talis fides non foret falsa, atque hinc posset esse *supernaturalis*, fundareque *supernaturalem* amorem amicitiae: tum quia non videtur necessaria cognitio *supernaturalitatis*, utpote cujus conceptus etiam doctis dubius et obscurus est.

*R. N. M. Rat. 1ª. D.* Per talem fidem cognoscitur Deus et remunerator benevolus et amicabilem *N.* ut remunerator simpliciter *C.* Ad remunerationem amicabilem, quæque fundat amorem amicitiae perfectum, requiritur, ut

alter alteri velit communicare suam præsentiam, visionem intuitivam et amorem fruitivum; unde licet amor auctoris naturæ possit esse *supernaturalis*, non tamen foret amor amicitiae perfectus, neque etiam posset esse firmus et perfectus, cum Deus se diligentes non soleat semper remunerari per bona vitæ præsentis.

*Ad Conf. 1ª. R. N. Ass.* Tum quia talis fides esset falsa adeoque solum *naturalis*: tum quia amicitia ex ea orta non posset esse perpetua, qualis tamen requiritur, ut sit perfecta, appretietque amicum amore super omnia firmo. *Ad prob. R. D.* Posset amare amore amicitiae imperfecto *C.* perfecto et justificativo *N.* Ex eo autem quod error sit inculpabilis, impeditur quidem, ne fides aut amor ejusmodi sit vitiosus; non autem præstat, ut justitiæ sortiatur effectum, quemadmodum in aliis etiam necessario ad aliquid efficiendum reipsa requisitis patet.

*Ad Conf. 2ª. R. D. ult. seq.* Posset fundare amorem amicitiae *supernaturalem* perfectum *N.* imperfectum *C.* Cum enim fides præscinderet a *supernaturalitate* ac duratione æterna, hoc ipso non proponeret Deum tanquam amicum perfectum ac perpetuum, adeoque non posset fundare amorem amicitiae justificativum ex duplici defectu. *Item* non requiritur cognitio *supernaturalitatis* quoad *an est N.* quoad *quid est C.* Requiritur enim et sufficit, ut fidelis credat vitam æternam, quam viribus propriis et naturalibus nequeat consequi.

120. *Observa.* Cum fides de remuneratore *supernaturali* dari nequeat sine fide immortalitatis animæ, ac necessitate gratiæ; communior etiam assertio Theologorum est, de his fidem necessariam esse necessitate mediæ. Quia tamen qui credit et sperat remuneratorem *supernaturalem*, satis hoc ipso etiam credit animæ perpetuitatem et necessitatem auxilii melioris ad salutem, fides horum explicita et per distinctos conceptus non semper in re et actualiter necessaria existimatur.

QUÆRES I. *An etiam articuli de Christo et SS. Trinitate necessario necessitate mediæ sint explicitè credendi?*

121. *Nota I.* Conjungimus utrumque articulum, eo quod unus sine altero recte intelligi nequeat, ut consideranti facile perspicuum erit: illum autem de Christo alteri de Trinitate præponimus, propterea quod qui primi necessitatem asserunt, inde posterioris necessitatem deducant, ut videre est in S. THOM. hic q. 2. a. 8. Quæstio porro est 1º. de necessitate respectivo ad omnes, scilicet Gentiles, Judæos et Christianos, in antiquo Testamento seu ante Christi adventum æque ac in Novo et post adventum Christi: 2º. de fide explicita, non autem de implicita tantum, qua nempe fidelis quilibet credit vera esse omnia, quæ divinitus sunt revelata, inter quæ etiam est Incarnatio Verbi et Mysterium Trinitatis: 3º. de certo gradu fidei explicitæ; habet enim ista plures gradus secundum rationem magis expliciti, ut passim observant Doctores. Inter hos de Christo *primus* est, si Deus creditur ut justificator et Salvator generis humani per media ab eo ordinata, ignorando tamen media in particulari, quorum unum est Incarnatio; atque hic gradus idem est cum fide de Dei providentia, seu Deo remuneratore: *secundus*, Si creditur aliquis redemptor, et mediator inter Deum et homines, ad hos salvandos, ignorando adhuc modum redemptionis, et an redemptor sit homo Deus;

*tertius*, Si creditur divinitas redemptoris, sed ignoratur etiamnum modus redemptionis, per passionem scilicet, mortem et resurrectionem redemptoris divini: *quartus*, Si explicite etiam creditur humanitas et divinitas Christi et modus proxime memoratus, quo redemptio completa fuit.

122. *Nota II.* Circa quæstionem sic expositam auctores abeunt in diversas sententias. *Prima* est, fidem penitus explicitam in Christum fuisse ad salutem necessariam pro omni omnino tempore; ita quidam apud *Bannez*: *secunda*, talem fidem non quidem fuisse necessariam tempore V. T., esse tamen nunc in N. T.; ita *Valentia*, *Lorca* cum pluribus Thomistis: *tertia*, fuisse semper necessariam fidem alicujus mediatoris secundum gradum, *secundum* supra expositum; ita *Alex. Albert. Bonav. Scot. Becan. Simonet*; qui iidem statuunt post adventum Christi ejus fidem in gradu *quarto* explicitam esse necessariam: *quarta* fidem omnino explicitam nunc quidem esse necessariam ad salutem consequendam, non autem ad ipsam justificationem; ita *Canus*, *Ledesma*, *Castro*, *Bannez* et nonnulli: *quinta* absolute docet, fidem explicitam de Christo mediatore ac redemptore nequidem in Novo Testamento et ad salutem consequendam esse necessariam necessitate medii; ita *Suar.*, *Hainold.* et præter alios *Lugo*, qui eam inter Recentiores vocat communem, et *Layman*, qui hanc saltem æque probabilem censet. Statuitur vero ab universis explicitam in Novo Testamento utriusque articuli fidem esse necessariam necessitate præcepti etiam primarii; unde et *Suarez* eam saltem in voto necessariam dicit necessitate medii, qua ratione baptismus in voto necessarius enuntiatur; eo quod fides hæc explicita est a Deo instituta tanquam medium ad salutem obtinendam, sicut baptismus fluminis.

123. *Dico I.* Videtur certum, fidem explicitam Christi quoad divinitatem, humanitatem et modum redemptionis non fuisse medium ad salutem necessarium in V. T.

*Prob.* Medium ad salutem *absolute* necessarium debet publice ita esse promulgatum aut notum, ut non a quibusdam duntaxat sanctoribus et doctoribus sed a multitudine et omnibus cognoscatur; alioqui Deus sufficienter non provideret saluti omnium, neque voluntati seriæ omnes salvandi satisfaceret: sed in V. T. fides explicita Christi quoad divinitatem, humanitatem et modum redemptionis sic nec promulgata nec nota erat omnibus; ut patet 1<sup>o</sup>. ex ipsa S. Scriptura, quæ Christi fidem valde obscuram significat in ep. ad Gal. 3. 23. *Prius autem, quam veniret fides, sub lege custodiebamur conclusi in eam fidem, quæ revelanda erat.* 1. Cor. 10. 4. *Bibebant autem de spiritali consequente eos petra; Petra autem erat Christus.* 2. ad Cor. 3. 14. *Usque in hodiernum diem idipsum velamen in lectione Veteris Testamenti manet non revelatum, (quoniam in Christo evacuatur) sed usque in hodiernum diem, cum legitur Moyses, velamen positum est super cor eorum.* 2<sup>o</sup>. Ex Trid., quod cum Sess. 6. c. 2. dicat, *Christum et ante legem et legis tempore multis sanctis Patribus declaratum ac promissum*, clare innuit non omnibus fuisse revelatum. 3<sup>o</sup>. Ex ipsa notitia, cujus apud Gentiles vix ullum vestigium deprehendi potest: apud Judæos autem ita depravatum erat, ut vulgaris error esset, solum exspectari redemptorem corporum, non animarum.

124. *Nec dicas* 1<sup>o</sup>. S. AUG. L. 18. de Civ. c. 47. scribit: *Quod nemini concessum fuisse credendum est, nisi cui divinitus revelatus est unus mediator Dei et hominum homo Christus Jesus, qui venturus in carne sic antiquis sanctis prænuntiabatur, quemadmodum nobis venisse nuntiatus est, ut una eademque per ipsum fides omnes in Dei civitatem, Dei domum, Dei templum prædestinatos perducatur ad Deum.* L. de nat. et grat. c. 44. autem ait: *Ea quippe fides justos sanavit antiquos, quæ sanat et nos, id est, mediatoris Dei et hominum hominis Jesu Christi, fides sanguinis ejus, fides crucis ejus, fides mortis et resurrectionis ejus.* Similia habet L. 2. de Grat. Christi et de pecc. orig. c. 24. et alibi. 2<sup>o</sup>. S. THOM. 2. 2. q. 2. a. 7. *Post peccatum, inquit, fuit explicite creditum mysterium Incarnationis Christi, non solum quantum ad Incarnationem, sed etiam quantum ad passionem et resurrectionem, quibus humanum genus a peccato et morte liberatur. Aliter enim non præfigurassent Christi passionem quibusdam sacrificiis et ante legem et sub lege.*

*Ad 1<sup>um</sup>.* R. S. AUGUST. ex omnibus Patribus maxime inclinare in contrariam sententiam, ad quam deligendam forte concitatus fuit a perpetua cum Pelagianis pro asserenda peccati originalis-existentia concertatione, quamvis illud in V. T. non nisi implicite multitudini certe traditum esse constet. Ne tamen ob ejus auctoritatem divinam misericordiam ac in salvandis hominibus liberaliter restringamus, benigne explicandus est dicendo nempe, assertam ab eo fidem *explicitam* Christi ut Redemptoris ac etiam modi Redemptionis pro sanctoribus et doctoribus duntaxat; pro multitudine autem fidem *implicitam* tantum Christi sub solo generico conceptu Salvatoris, non autem conceptu specifico Mediatoris, et fidem implicitam sanguinis, crucis, mortis, et resurrectionis sub generico conceptu medii aut modi Deo Salvatore convenientis ac liberi, non autem sub clara idea et modi determinati ac Redemptori convenientis. Fundamentum aliquod huic explicationi, præter thesæ rationes, præbet tum ipse status ac imperfectio Ecclesiæ antiquæ; tum ipse S. AUG. qui L. 19. cont. Faustum c. 14. comparisonem inter Legis Mosaicæ et Gratiæ fideles instituens, illorum fidem *occultam*, horum *revelatam* vocat; tum ex S. TH. supr. cit. ad 3. ubi sic loquitur: *Si qui tamen salvati fuerunt, quibus revelatio non fuit facta, non fuerunt salvati absque fide mediatoris: quia etsi non habuerunt fidem explicitam, habuerunt tamen fidem implicitam in divina providentia, credentes Deum esse liberatorem hominum secundum modos sibi placitos.* Hinc

*Ad 2<sup>um</sup>.* R. Similiter, præsertim quia S. D. post verba objecta subjungit: *Quorum quidem sacrificiorum significatum explicite majores cognoscebant: minores autem sub velamine illorum sacrificiorum, credentes ea divinitus esse disposita de Christo venturo, quodammodo habebant velatam cognitionem.*

125. *Dico II.* Probabilius videtur, in V. T. nequidem necessariam fuisse necessitate medii fidem explicitam in Christum ut Mediatorem inter Deum et homines.

*Prob.* Generalia enim S. Scripturæ de Messia pronuntiata nihil edicunt de munere Redemptoris seu Mediatoris inter Deum et hominem, sed simpliciter Salutare Dei aut Salvatorem proponunt, qualia habentur Genes. 49. 10. Habac. 2. 3. Aggeæ. 2. 8. etc.; alia vero magis determinata non mediatorem duntaxat, sed et prædicata illius singularia, divinitatem

scilicet et humanitatem simul, modumque redemptionis declarant vel innuunt.

*Conf. S. CHRYS., hom. 37. (al. 36. n. 4.) in Matth. Qui ante Christum, inquit, obierunt, atque ideo ipsum non cognoverunt, si ab idolorum cultu recesserunt, ac Deum solum adorarunt, si præterea honeste vitam peregerunt, æterna bona et beatitudinem adipiscentur.*

126. *Nec dicas* 1<sup>o</sup>. S. AUG. locis supra cit. saltem intelligi debere de fide in Christum ut Mediatorem necessaria; eo quod in hoc puncto habeat etiam alios Patres sui sequaces, inter quos GREG. NAZ. OR. 43. de Machabæis n. 4. generatim sic pronuntiat: *Quin etiam mystica quedam et occulta ratio mihi quidem atque omnibus Dei amatoribus valde probabilis est, neminem eorum, qui ante Christi adventum martyrio consummati sunt, id sine fide in Christum consequi potuisse.* 2<sup>o</sup>. Est de fide, etiam docente SUARESIUS, quod semper, et sic in omni lege, fuerit necessaria necessitate medii fides aliqua Christi ad justificationem et salutem adultorum: hoc vero dici nequit de fide implicita; ergo de explicita. 3<sup>o</sup>. Magis necessaria est fides de Christo, utpote de fundamento nostræ salutis, quam de immortalitate animæ et gratiæ necessitate; contrarium enim dicere esset injuriosum Christo; ergo.

*Ad 1<sup>um</sup>. R. N. Ass.* Quia vel cedendum est auctoritati S. AUGUSTINI etiam quoad illa, quæ signantibus verbis de fide in divinitatem et modum redemptionis Christi docet; vel si ejus verba explicare benignius quoad illa datur, idem concedendum quoad fidem in Christum.

*Ad Rat. R.* Præter dicta superius, duplicem generatim ad textus SS. Patrum respondendi viam esse: *prima* pertinet ad eos textus, quibus dicitur sine fide Christi neminem fuisse justificatum aut justificari posse, nempe sine fide Christi tanquam causa morali justificationis, hoc est, sine meritis Christi C. sine fide Christi tanquam objecto N. vel *subd.* sine fide implicita et sub conceptu generico Dei Salvatoris C. sine fide illius explicita et sub conceptu Dei Mediatoris N. *Secunda* ad textus alios spectat, qui asserunt, omnes per eandem fidem fuisse justificados et salvatos; respondetur enim, id factum per eandem fidem entitative, scilicet supernaturaliter et ex meritis Christi collatam C. per eandem fidem representative *subd.* quoad objectum genericum C. quoad objectum particulare N.

*Ad 2<sup>um</sup>. R. N. m.* Fides enim Christi talis sufficit, qualis *absolute loquendo* necessaria requiritur contra errores duos, *Judæorum* alterum, qui existimabant Christum esse duntaxat Redemptorem corporum, alterum *Pelagii*, qui negabat gratiæ a peccato liberantis necessitatem, atque hinc Christum etiam Justis V. T. profuisse inficiabatur, cum ejus exempla et doctrinam non haberent. Uterque autem error convincitur etiam per hoc, quod Deus sit Salvator necessario credendus, non corporum tantum sed animarum, non naturalis duntaxat et per media naturæ debita, sed supernaturalis et per gratiam proprie dictam; quæ omnia per fidem Christi *primo* modo explicitam creduntur. Plus requiri saltem pro multitudine et necessitate medii non evincit *Simonet*, aut contra priorem suam assertionem testimoniis ex Scriptura allatis probat etiam fidei quoad alia Christi prædicata explicitæ necessitatem.

*Ad 3<sup>um</sup>. R. N.* Esse hoc Christo injuriosum; cum enim absque injuria dici

possit, explicitam fidem de Deo tanquam primaria et unica causa efficiente salutis nostræ requiri, implicitam vero sufficere de Christo tanquam causa duntaxat morali; etiam citra injuriam dici potest magis necessariam esse fidem implicitam de animæ immortalitate et gratiæ necessitate, cum illa explicita de Deo fides haberi nequeat sine fide implicita de his.

127. *Dico III.* Æque probabile saltem est, nec in N. T. fidem explicitam de Christo esse medium necessarium ad justificationem aut consecutionem salutis.

*Prob. 1<sup>a</sup>. pars.* Deus nihil exigit tanquam medium necessarium in adultis ad justificationem, nisi quod ex natura rei morali est necessarium necessitate medii ad illam de congruo merendam; tum quia in hoc conceptu statuenda est necessitas medii prout distincta a necessitate præcepti: tum quia Deus, quantum est de se, vult omnes homines salvos fieri, atque hinc, dummodo illi ponant, quantum ex natura rei necessarium est ad promerendam justificationem, ipsos justificat. Sed fides in Christum explicita non est ex natura rei morali necessaria necessitate medii ad justificationem; tum quia hæc necessitas ex rei natura declarari nequit: tum quia sine illa ex sola fide Dei remuneratoris potest elici actus amicitiae supernaturalis perfectus et justificativus: tum quia potest stare fides sola Dei ut remuneratoris, ac consequenter etiam amor Dei, nondum habita fide Christi: nam quod dicant adversarii, vel negare Deum suum concursum in hac providentia ad amorem Dei eliciendum sine præsupposita fide explicita in Christum, est petiti principii; vel Deum homini, inter barbaros educato et illustrato fide in remuneratorem supernaturalem ac bene juxta legem naturalem viventis, missurum hominem vel etiam angelum, qui eum de Incarnationis mysterio edoceat, hoc, inquam, est divinare, cum nullibi promissa sit tam extraordinaria et miraculosa instructio, ac rursus est petere principium; ergo.

*Conf. 1.* Ut aliquid dicatur medium necessarium ad justificationem, si etiam id ex ipsa rei natura cognosci nequeat, debet saltem ut tale ita clare a Deo esse propositum ac promulgatum omnibus omnino hominibus, ut id nullius notitiam effugiat, ac de eo nullus prudenter dubitare queat; quod patet tum ex paritate de primariis præceptis *naturalibus*, tum ex paritate præcepti *positivi*, quod sub dubia tantum promulgatione seu existentia non obligat. Sed fidem explicitam in Christum esse medium necessarium ad justificationem, ita clare non est a Deo propositum et revelatum. Nam 1. clarissimus locus Scripturæ de natura et absoluta necessitate fidei etiam in N. T. est ille S. PAULI ad Hebr. 11. supr. cit., ubi tamen fides in Christum non requiritur, sed sola in Deum ut existentem et remuneratorem. 2. Alii textus explicari possunt aliter, quam de necessitate medii. 3. De hac necessitate non dubitant tantum, sed eam negant Patroni nostræ assertionis, iique multi doctrina et pietate commendati. Ne quid dicam de eo, quod fides illa nulli nota fiat, nisi solerter instituat, hæc autem institutio ad plurimas gentes non pertingat.

*Conf. 2.* *Tum a paritate.* Quia fides omnino explicita in Christum juxta communissimam, et hinc explicita quoad mediatorem in V. T. juxta probabilior, non fuit necessarium medium ad justificationem; ergo nec fides omnimode explicita potest probabilius dici necessarium medium in N. T.; tum